

Ξ.Τ.Θ. Τὸ συλαγωγὸν τῆς φιλοσοφίας Hoc est:
Dissertationis philologicae de philosophia spoliatrice, in locum Pauli
Col. II. 8. βλέπετε, μή τις ὑμᾶς ἔσται ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας,
καὶ κενῆς ἀπάτης, sectio III.

Georg Otho (praes.)
Johann Theodor Neuber (resp.)

Marburg: Joh. Jodoc. Kürsner, 1701

Private Collection

http://www.juniusinstitute.org/sources/OthoG_disp_1701/

Terms and conditions

This PDF may be used for non-commercial research and private purposes according to the Creative Commons Attribution-NonCommercial-NoDerivs 3.0 Unported License. Redistribution is permitted provided that these terms and conditions remain as part of the PDF file. For further questions, contact info@juniusinstitute.org.



The Junius Institute

The Junius Institute for Digital Reformation Research of Calvin Theological Seminary is a forum for the promotion of research into the Reformation and post-Reformation eras, particularly through the use and development of digital tools and sources.

<http://www.juniusinstitute.org>

25

Ξ. Τ. Θ.
Τὸ συλαγωγὸν τῆς φιλοσοφίας
Hoc est:

DISSERTATIONIS PHILOLOGICÆ
D E
PHILOSOPHIA
SPOLIATRICE,

In Locum Pauli Col. II. 8.

βλέπατε, μήτις ὑμᾶς ἔσαι ὁ συλαγωγὸν διὰ τῆς φιλοσοφίας, καὶ κενῆς αἰπάτης κ. λ.

S E C T I O III.

Quâ ostenditur

Nec Philosophiam ipsam in ideâ, nec eam, quæ hodie solo rectæ rationis lumine subnixâ in nullius Magistri verba jurat, & solius S. Scripturæ ac indubitatæ revelationis Divinæ auctoritatî vela submittit; sed Sophisticam duntaxat deceptionem, hominum traditionib. & elementis mundi seu externis ritibus fundatam, damnari.

Quam

Divinâ aspirante gratiâ
Sub P R Æ S I D I O

GEORGII OTHONIS,

Græcæ & Orientalium Lingg. nec non Poëseos
Professoris Ordinarii, Academiae Bibliothecarii, Magni sui Patroni &
Præceptoris omni honoris & amoris cultu nunquam
non honorandi, colendi;

Placide Dn. Commilitonum disquisitioni submittit

Ad d. XXVI. Februar. Anno clō Ioccl.

Horis Locoq, consuetis

JOHANNES THEODORUS NEUBERUS,
LAUBACO-SOLMENSIS.

Marburgi Cattorum, Typis hæred. Joh. Jodoci Kürsneri, Acad. Typogr.

Illustri, Generosissimo

atque

Præstrenuo Domino,
DN. ALEXANDRO
ROLAZ de ROSEY,

Antiquissimâ prosapiâ Equitisplendidissimo Sere-
nissimi Hassiæ Landgravii Chiliarchæ & Guber-
natori urbis & munimenti Zigenhainensis vigi-
lantissimo, ejusdemque Comitatus Præfecto Pri-
mario & Consiliario Eminentissimo,

Nec non

VIRO Prænobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo
DN. OTHONI HEN-
RICO CALCHOFIO,

J. U. Doctori, urbis Zigenhainensis vicinæque Dice-
ceseos Archi-Prætori longè meritissimo, Gravif-
simo,

*Mecænatibus, Patronis ac Promotoribus suis maximis, sem-
piterno observantia & venerationis cultu prosequendis,*

*Hasce studiorum suorum primitias in debita observan-
tia & gratitudinis reuerentiâ ulterioresq; eorundem
commendationem submisso animo D. D. D.*

Devotissimus Client

J. T. NEUBERUS, Resp.



Σ. Τ. Θ.

DISSERTATIO

DE

Philosophia Spoliatrice,

SECTIO III.

*Usum explicati textûs breviter
indigitans.*

§. I.



Nte aliquot annos, ab honesto quodam & industrio Juvene rogati, Dissertationem Philologicam conscripsimus in locum Pauli Col. II. 8. βλέπετε, μήτις ὑμᾶς εἶσαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, κτλ. Videte, ne quis sit, qui vos deprædetur per Philosophiam & inanem deceptionem &c. Eamque sub nomine *Philosophiæ Spoliatricis*, exercitiî causâ, publicè ventilandam proposuimus.

§. 2. Quem in ea conscribenda scopum habuerimus, in brevi, quam præmisimus, præfatione §. 3. indicavimus; ut nimirum ostenderemus Philosophiam modernam, quæ & sanæ rationi in plerisque omnibus examissim respondet, & sanctis nostræ religionis mysteriis nullâ ex parte adversatur, ab Apostolo citato loco neutiquam damnari, atque adeò immeritò in odium & invidiam apud imperitos vocari. Quod ut facerem, utrorumque interesse videbatur, tum eorum, qui, ob verba Pauli perperam intellecta, innocen-

A

tem

tem Philosophiam unà cum Cultoribus suis temerè oderunt; rùm eorum, qui illam ut eximium Dei donum grato animo amplectuntur: ne scilicet quisquam, hoc tanquam inani *μορμολυκείω*, vel abstergere alium à pulcherrimo studio posset, vel ipse se abstergeri per alios pateretur.

§ 3. Hunc porrò scopum ut tantò faciliùs assequeremur, propositam Dissertationem in *tres Sectiones* distribuimus; quarum *prima* verba Apostoli cum variis tam Orientalibus quàm Occidentalibus Versionibus proponeret; *altera* genuinum eorum sensum tam ex singularum vocum naturâ & usu, quàm ex ipso Orationis contextu & demonstrato Apostoli scopo exhiberet; *tertia* deniq; verum inventi sensûs usum adjungeret, sic què ostenderet, verba Apostoli modernæ, quam diximus, Philosophiæ nullo modo, neq; directè nec per consequentiam, advertari, atque adeò nisi per calumniam contra eam detorqueri non posse.

§. 4. *Duas* priores Sectiones, quæ generales magis sunt, eo quo diximus tempore absolvimus; *tertiam* verò specialem, quæ applicationem continere debebat, in aliam occasionem rejecimus; & hucusque, partim ob intercurrentem aliorum negotiorum turbam, partim quòd ex detecto jam Apostoli sensu ultrò sequi videbatur, sive distulimus sive negleximus. Cùm verò se jam offerat ingenius Juvenis, qui simile argumentum Philologicum, edendi secundùm statuta Speciminis causâ, postulet, visum est telam ante tot annos cœptam tandem pertexere.

§. 5. Etsi autem varia ex singulis penè textûs nostri verbis nec inutilia *πορίσματα* deducere possimus, v. g. (1) Quòd in cavendis erroribus propriis, non alienis oculis uti deceat, ex verbo *ελέπετε Videte*. (2) Quòd inter Doctores dentur & seductores, ex verbo *συλαγωγών depradans*. (3) Quòd scriptura sæpè loquatur de rebus non quales sunt, sed quales videntur, ex voce *φιλοσοφία Philosophia*, pro Sophistica Philosophiam simulante. (4) Quòd omnis deceptio falso vel nullo nitatur principio seu fundamento, ex vocibus *κενὸν ἅπῃ inanis deceptio*. (5) Quòd traditio hominum in rebus fidei & scientiarum parvi vel nullius sit momenti. (6) Quòd cultus Leviticus omnesque adeò ceremoniæ externæ per se Deo non placeant, & denique (7) Quòd nullum jam habeamus in rebus fidei magistrum, nisi unicum Dominum nostrum

Jesum

Jesum Christum, ex reliquis textibus verbis: Attamen ne falcem videamur mittere in alienam messem, hæc & similia Theologis relinquentes, illud saltem videbimus, an & quatenus Philosophia ab Apostolo in proposito textu damnetur, & quo jure, quâve injuriâ ille adversus modernam Philosophiam ab Otoribus illius citari soleat: Sit ergo

§. 6. Assertio I. *Philosophia vera, quâ talis, neque ab Apostolo in textu proposito, neque ab ullo alio sacro Scriptore damnatur aut damnari potest.* Demonstratio. Hæc assertio communiter recepta est, nec ab ullo, quod sciam, in dubium hodiè vocatur. Et Apostolus apertè indicat, quam Philosophiam intelligat, cum addit *ἡ τῆς κωνὸς ἀπάτης*, eam nempe, quæ vana sit & seductoria. Et certè, quia verum vero consonat, nihil potest esse vetum in Philosophia, quod sit falsum in Theologia & contrâ. Etsi enim Philosophia, *ex nihilo aliquid fieri, virginem parere &c.* negat; Scriptura, v.g. de Creatione mundi, & B. Virgine, affirmat, facilè hæc inter se conciliantur: si illa de ordinariâ & naturali, hæc de extraordinariâ & supernaturali Dei operatione intelligatur: sicq; distinctio omnem tollit contradictionem. Rectè sanè Clarissimus Maresius: *Cum lumen lumini non sit contrarium, nec verum vero, sintque fidei mysteria supra rationem, non contra veram rationem; non debet simpliciter recta ratio à Theologis exulare, aut cum illa ψευδωρύμω Philosophia confundi, de qua Paulus loquitur Coll. II. 8. System. L. I. §. 15.*

§. 7. Assertio II. *Paulus nullam vanam deceptionem & Sophisticam, sive illa Philosophorum sit, seu Theologorum, in proposito textu probat.* Demonstratio. Etsi enim hîc de Philosophia in specie loqui videtur, talem tamen intelligit, quæ circa religionem versatur, ut in priorè parte ex ipso contextu demonstravimus. Vide quoque Assertionem proximam. Et alibi satis generaliter loquitur. Sic ad fideles Corinthios: *Τίς μετοχή, inquit, δικαιοσύνη καὶ ἀνομίας τῆς κοινωρίας ὡτὶ πρὸς σκότος; &c.* *Quod consortium justicie cum legis transgressione? Et quæ communicatio luci cum tenebris? Et quæ concordia Christo cum Belial? Aut quæ portio fideli cum infideli? Et quæ consensus templo Dei cum simulacris? 2. Cor. VI. 14. 15. 16:* Christus quoque sine exceptione, omnes falsos Doctores caveri jubet, cum ait: *Προσέχετε ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, οἵτινες ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς*

ὄμῃς &c. *Cavete vobis à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intus verò sunt lupi rapaces. Matth. VII 15.*

§. 8. Assertio III. *Unum tamen illius genus hoc loco præ aliis vetat, nempe falsas Judæorum hypotheses de æternitate legis Mosaicæ. Demonstratio.* Quid enim per traditiones illas hominum, secundum elementa mundi & non secundum Christum, aliud intelligi potest, quàm hujusmodi contra mentem Scripturæ è Synagoga confictæ sententiæ? Hæ solæ urgent doctrinam de circumcissione, vers. 11. de delectu cibi ac potus, de festis, Noviluniis & Sabbathis vers. 16. In his inveniuntur illa placita, *μὴ ἄψῃ, μὴ δὲ γούρη, μὴ δὲ δίψη:* *Ne ederis, ne gustaris, ne tetigeris.* vers. 21. imò & illa *ταπεινοφροσύνη καὶ θρησκεία τῶν ἀγγέλων* *humilitas illa & cultus angelorum* vers. 18. quemadmodum hoc prolixè probat Goodvin in tractatu de ritibus antiquorum Hebræorum lib. 1. cap. 12. §. 23. & Clarissimus Maresius concedit in Notis ad Systema suum Loco I. §. 15. lit. f. Per has etiam solas Christi fideles *συλαγωγεῖν* *depredari*, & *καταβραβεύειν* *præmiis illis æternæ beatitudinis abjudicare, selebant.* ut patet Act. XV. 1. 5. hoc Judæorum *πρώτον* *ἑυδῶ* tam latè diffusum fuit, ut nec ipsi discipuli & Apostoli Domini aliud sibi de Christo persuaderent, quàm quòd terrenum aliquod regnum Israëli restitutus, & cultum Leviticum secundum legem Mosis instauraturus ac conservaturus perpetuò esset. Luc. XXIV. 21. Act. I. 6. Rabbi Moses certè æternitatem hanc & immutabilitatem legis Mosaicæ peculiari capite evincere conatur. *Fundamentum, inquit, legis nostræ est, quòd in æternum non sit finem habitura vel abolenda: ac propterea etiam ex sententia nostra alia lex nec unquam fuit, nec erit præter unicam hanc legem Mosis Doctoris nostri.* p. m. *Probatur hoc inde quia &c.* Vide ipsum in Moreh Nebochim. p. 11. cap. 39. Atque hoc erat gravissimum illud præjudicium & *κάλυμμα* *velamen* cordi Judæorum impositum I. Cor. III. vers. 15. quod cœptum Evangelii cursum tanto perè remorabatur, & contra quòd Apostoli ac in primis Paulus in omnibus suis Epistolis fideles tam studiosè præmunit.

§. 9. Assertio IV. *Non tamen propterea putandum est, omnes traditiones Judæorum, etiam de Ceremoniis cultus Levitici, à Paulo damnari.* Demonstratio. Non enim omnes sunt vana deceptio aut contra Christum. Quibusdam enim & ipsi Apostoli

tan-

tanquam veris utuntur, ut de Jamne & Jambre 2. Tim. III. 8. de lite Diaboli cum Michaële circa corpus Mosis. Judæ vers. 9. de prophetiâ Enochi, ibid. vers. 14. Targumim certè seu Paraphrases Chaldaicæ & Commentarii Rabbiorum sensum Scripturæ sæpe satis feliciter exponunt; adeò ut in proverbium abierit: *quòd ubi illi bene, nemo melius; ubi malè, nemo pejus.* De ritibus porrò & mensuris rerum sacrarum, de locorum, temporum, personarum circumstantiis circa cultum Leviticum, multa præclare in corpore suarum Traditionum Talmude disputant, sine quibus aqua nobis in multis necessariò hæretet. Ac propterea non negligenda sunt sedulis S. S. cultoribus hæc Rabbiorum Commentaria, multò minus igne & ferro abolenda, ut Pfeffercornius cum aliquot Academiis circa initia Reformationis Maximiliano Imperatori & Leoni Papæ Romano frustra persuadere conabatur. Vide Reuchlini Speculum.

§. 10. Assertio V. *Etsi autem alias Philosophorum aut Ethnicorum sectas Apostolus his verbis directè non damnat, non tamen etiam ab omni errore absolvit.* Demonstratio. Nemo enim mortalium extra errandi aleam constitutus est præter Christum, Joh. VIII. 46. Cæteris hominibus errare adeò est proprium, ut erraret etiam Sapiente sapientior. Nemo itaque aliis vitio vertere debet, quod ipsum cæco impetu sequi recusent, sed sententiam ejus diligenter priùs examinantes, secundùm Apostoli monitum diligenter videant, ne qua forte verbis eorum subititanis deceptio, per quam in errorem qualemcunque inducantur, & salutari veritatis cognitione priventur.

§. 11. Assertio VI. *Per consequentiam certè damnat, quisquid in quacunque doctrinâ, sive Philosophica, sive non Philosophica, reperitur falsum & deceptorium.* Demonstratur. Hæc enim unica ratio est, cur Apostolus doctrinam Judæorum secundùm traditiones de elementis mundi contra Christum damnet, quòd falsæ sint & deceptorix. Quo verò privilegio se ab hac censura Apostoli eximent alii, si in eadem erroris culpa cum Judæis versentur? *Similium enim similis est ratio. Qui socius culpæ fuit, erit & socius pœnæ,* juxta Claubergium Logicæ contractæ §. 88.

§. 12. Assertio VII. *Quicquid contra verum est, à quocunque etiam proferatur, tunc & bonâ conscientia admittitur.* De-

monstratio. Hæc enim lex oppositorum est, ut attributa seu prædicata habeant opposita. Claub. §. 91. Quod si ergò omnis error & vana deceptio est cavenda, ne nos deprædetur, ut Apostolus hic monet; veritas è contrario est recipienda, ut nos pro parte sua ditet. Ad hoc nos alibi expresse hortatur Apostolus: "Ὅσα ὄντι ἀληθῆ, ὅσα εἰσὶν ἀγαθὰ, ὅσα ἀγαθὰ κτλ. *Quæcumque sunt vera, quæcumque veneranda, quæcumque iusta, quæcumque pura, quæcumque amabilia, quæcumque boni nominis, si qua virtus, si qua laus est, hæc persequere.* Philip. IV. 8.

§. 13. Assertio VIII. *Ut autem doctrina aliqua vera sit, requiritur ut vera habeat principia, ex iisque rectè deducatur & clarissimè demonstretur.* Demonstratio. Ex falsis enim per se nihil veri sequitur. Et verum, nisi ex certis & evidentibus principiis non deducitur: nec probatio, nisi per bonam & legitimam consequentiam, ulla est. Principia autem intelligo à quorum evidenti & indubitata veritate aliarum rerum, quæ sub intellectu nostro cadunt, cognitio deduci potest: Conclusiones, quæ ex veris principiis legitimè colliguntur; Demonstrationem, legitimum ordinem seu methodum, qua unum ex altero clarè & perspicuè deducitur. Talia ergò principia si haberi possint, ex iisque adhibitâ bonâ & legitimâ demonstrandi methodo, conclusiones evidenter deducantur, nullum erroris, nullum deceptionis erit periculum.

§. 13. Assertio IX. *Talis cum sit Philosophia moderna, ab Apostolo in textu nostro non tantum non damnatur, sed potius omnibus veritatis studiosis commendatur.* Demonstratio. Consequentia ex antecedentibus Assertionibus satis patet. Quod portò Philosophia moderna talis sit, hoc modo probamus.

§. 15. (1) Philosophia moderna habet certa principia, v. g. in rebus immaterialibus. (1) *Ego cogitans existo.* (2) *Ens summè perfectum, hoc est, Deus Auctor omnium rerum & fons veritatis existit.* (3) *Intellectus, quem Deus nobis dedit, ejus est natura, ut in judiciis, de iis, quæ clarissimè & distinctissimè percepit, decipi non possit.* In rebus verò materialibus: (1) *Dantur corpora seu res in longum, latum & profundum extensa, variis figuris prædita, & quæ diversimodè moveantur.* Hæc tam certa & evidentiæ sunt, ut nullus Scepticus, nullus Academicus tam obstinatè dubitare possit, quin hæc admittere cogatur. Siquidem primum
eorum

eorum, ipsâ se dubitatione suâ confirmat. Dato autem primo, cætera quoq; unicuique ex constanti eorum ideâ, suâq; cogitationis collatione elucet. Unde etiam ab omnibus sanæ mentis hominibus quovis tempore agnita & pro indubitatis habita fuerunt. Confer. Cartesii Dissertat. de Methodo Cap. VIII. Meditationes II, III. & IV. princip. P. I. Art. VII. XIV. XXX. Eadem quoque principia tam fecunda, tam ampla sunt, ut omnium rerum, quæ sub humanum intellectum cadunt, notitia ex eis deduci possit.

§. 16. (2) Eadem habet Conclusiones veras, partim absolute certas, ut in Metaphysica & Physica generali, ubi illæ per evidens rationis lumen ex intuitu Dei fallere nescii haberi possunt; partim moraliter certas, hoc est, quantum sufficit ad usum vitæ, quamvis, si ad absolutam Dei potentiam referantur, aliter se habere possint, ut in Physica speciali, seu de mundo ejusque ordine & partibus, in quâ, sicut in Astronomia, ex variis modis quibus phænomena explicari possunt, certus aliquis, tanquam hypothesis ad explicandam rerum particularium naturam idonea eligitur, & ad demonstranda naturæ phænomena usurpatur. Vide Cartes. P. P. IV. Artic. CCIV. & seqq. Harum autem præcipuæ à Cartesio in P. P. cæterisque scriptis Acroamaticis aliisque publicè propositæ extant, quæ à multis quidem hætenus impetitæ, à nemine autem solidè refutatæ fuerunt.

§. 17. (3) Eadem Philosophia habet veram & inveniendi & demonstrandi Methodum. Hanc Cartesius Tractatu de Methodo Cap. II. quatuor generalibus regulis comprehendit: (1.) *Ut scilicet nihil unquam veluti verum admittamus, nisi quod certò & evidenter verum esse cognoscamus.* (2) *Ut difficultates, quas sumus examinaturi, in tot partes dividamus, quot expediat ad illas commodius resolvendas.* (3) *Ut cogitationes omnes, quas veritati querenda impendimus, certo semper ordine promoveamus, incipiendo scilicet à rebus simplicissimis & cognitu facillimis, & paulatim ac quasi per gradus ad difficiliorum & magis compositarum cognitionem ascendamus: in aliquem etiam ordinem illas mente dividendo, quæ se mutuò ex natura sua ita non præcedunt.* (4) *Ut tam in querendis mediis, quàm in difficultatum partibus percurrendis tam perfectè singula enumeremus, & ad omnia circumspiciamus, ut certi simus, nihil à nobis omitti.* Magis autem speciales


les tradit P. P. Art, LXXV. & LXXVI. quas ibidem vide,
 §. 18. Cum ergò sic constet Philosophiam modernam, ha-
 bere certa & indubitara Principia, Conclusiones inde evidenter
 deductas, & acuratissimam inveniendi & demonstrandi methodū,
 ergò omni ex parte vera est, nec proinde ab Apostolo in proposito
 textu vel directè vel indirectè damnatur, sed potius ut certissimum
 adversus deceptiones remedium homine Christiano digna com-
 mendatur: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 19. His expeditis, aurem nobis vellicat auctor *Actūs Re-
 flexi Carsefianorum*: cui uno vel altero verbo respondendum, ne
 frustra hoc quicquid est laboris insumsisse videamur. Is enim (1)
 Negat Rabbiorum Doctrinam Philosophiam audire p. 18. con-
 trà quàm nos in priore hujus Dissertationis parte asseruimus. Sed
 respondemus. Doctrina Rabbiorum Philosophia audit apud
 auctores omni exceptione majores. Vide Joseph. *de bello Judaico*
 lib. II. cap. 7. & 12. & Philonem in libro cui titulum fecit, *Quod*
omnis probus liber, pag. m. 87. (2) Negat *Philosophiam ueram,*
etiam in ideâ consideratam, absolutè veram, pag. 106. contrà quam
 nos suprâ §. 6 hujus partis affirmavimus. Resp. Hoc plus quàm
 Scepticum est, & à Philosopho nostro pluribus in locis funditus eo-
 versum. Vide *Med. Metaph.* II. P. P. parte I. §. 6. & seqq. *Dissertat.*
de Methodo cap. IV. (3) Passim crepat *Cartesium docere de o-*
mnibus dubitare, eoque nomine ab Academia nostra exulare jus-
sam, pag. 12. 21. 46. & aliis. Resp. Primum ipsi Indices operum
 Cartesii refutant, in quibus plures veritates, quam apud ullum seu
 veterum seu recentiorum Philosophorum, ab auctore demonstratæ
 enumerantur. Alterum non mirandum, quoniam talem esse Se-
 renissimus legumlator ejusque Consiliarii, quorum operâ in concin-
 nandis Acad. Statutis usus est, ab Adversariis ejus, Celeberrimis qui-
 busdam Theologis Belgis, acceperant, quibus cum bonâ fide cre-
 derent, aliter facere non potuerunt. Nunc verò quando ex ipsius
 Cartesii operibus contrarium patet, mirum esset, si cessante causâ
 vigeret effectus. Sed hæc *ὡς ἐν παρόδῳ*. Faxit Deus, ut ἀληθείᾳ
ἡ ἀγάπη. Ipsi Patri luminum sit laus honor & gloria
 in sempiterna secula!



ADDITAMENTA MISCELLANEA
RESPONDENTIS.

1. **T** Utius & rectius philosophantur, qui liberè & ex principio vero nec suppositio. conclusiones deducunt.
2. Adnobilissimum τῆς φιλοσοφίας studium, ipsum augustum illius nomen mentes allicit.
3. Cælum oculis nostris videri non posse, probabiliter affirmamus.
4. Lunam aquè incolas suos habere, ac terram, non est probabile.
5. Telluris globus non est rotundus Geometricè sed Geographicè.
6. Corporum cælestium extensionem, etsi omnium sublunarium magnitudinè excedat, haud tamen actu infinitam esse credimus.
7. Plures corporum Universitates seu mundos existere, repugnat.
8. Mors hominis non consistit in separatione mentis à corpore.
9. Nullum corpus propriè loquendo agit.
10. Fallaciarum explicatio in Logicis perquam necessaria est.
11. Vocem ΙΩΝ non tam juramenti, quàm attestationis sanctæ formulam iudicamus.
12. De Deo nervosius τὸ **□□□**, stare, quam τὸ **□□□** permanere Ps. XXII. 4. dicitur.
13. Verbulum illud καταρτιζετε Gal. VI. 1. Apostolus cum singulari Emphasi in suo authentico exprimit.
14. Omne mendacii genus sine ullâ limitatione & exceptione damnatum atque prohibitum est.
15. Docetur in scholis trivialibus amare activum esse & amari passivum, nos autem contrarium dicimus.
16. Drenzehen & Siebenzehen nisi calculus me fallit. in computatione nostra faciunt DECEM.



PRÆSIDIS


Ad Pereximium & Doctissimum
DN. RESPONDENTEM

Nυδισία

N On, quis quid dicat; sed, quid quis dicat, ubique.
Ni cupiat falli, cernere quemque decet.

Omnis

Omnis homo mendax sancto testante Prophetâ:
 Credi simpliciter quis petet ergò sibi?
 Unicus est nobis *Veri* certissimus auctor,
 Qui nullum, quem quit fallere nemo, Deus.
 Hic quâcunque tibi quicquam ratione revelat,
 Protinus indubiâ suscipe quisque fide.
 Si tibi distinctè, si clarè mens tua quicquam
 Suggestit, effatum Numinis esse puta.
 Si tibi quid verbis Sacra Pagina tradit apertis,
 Illine dubites mox adhibere fidem.
 Cætera quæ neque mens, neque pagina sacra disertè
 Exprimit, aut dubia hæc aut quoque vana puta,
 Hæresin hoc faciens fugies vanosque Sophistas
 Nec *Vero* quisquam te *Spoliabit* homo.



רבי בלעז הכסל ורבים שקר אמרו
 (α) פלסופיא פילא סבא שנאה עליה דבריו
 המה פתים לפרעה כי אם חכמים שמרו
 פלסופיא דוד חכמה אשר למודים ספרים
 אתם בדבריוכם וכן אחי אנחנו נתרים
 ששנו כך הנה והתלמד בחכמת יקרים
 אלה דבריו הגיון (β) הראשונה ושאריו
 דעיו (γ) מדיניות ואלהות וברך אתך עתרום:


(α) *Vide hanc interpretationem*
 in Glos. Talm. Schab. fol. II6.1.

(β) Prima ל"ר *Metaphysica R.*
 Levi Prov. 6.

(γ) *Humana, Ethica vel Politica;*
 & *Divina, Pneumatica, Idem*
 Prov. 11. 19.

Hiscæ paucillis Doctissimo Dn.
 RESPONDENTI, Co-
 gnato & Amico suo Edecu-
 mato applaudere voluit, de-
 buit

JOH. JOACHIMUS SCHROEDERUS,
 Neocuriensis Hassus, Opp.



Φιλοσοφῶν ἀπάτην γε κενὴν βλέπε, φίλτατε, φεύγε

Τῆς τε φίλ. σοφίας δεξιὸς ἴσθι καλῆς.

Sic Pereximio & Doctiss. Dn. Respondenti
gratulabundus accinebat

JOH. WERNERUS, Leuchtenaviensis Hassus.